

P R A E F A T I O.

accommodari poterit, frustra labi patiamur. Si verò in cæteris, quibuscunque humanarum rerum occupationibus, tantam diligentiam & sollicitudinem adhibere decet; quis æquus rerum iudex ignorare poterit, multò maiorem curam & industriam, rerum divinarum studiis attribuendum esse. Cætera namq; licet perfectissima & absolutissima omnia fuerint, ad huius tamen brevioris duntaxat vite incolumitatem pertinent: quæ verò ex divinarum rerum studiis hauriuntur, eademum ad amplissimam & æternam nostram felicitatem spectant: quorum omnium summa, cum in Christo cumuletur, de huius divinæ ac cœlestis Artis perfectione rectissimè illud dictum est:

Si Christum discis satis est, si cætera nescis:
Si Christum nescis nihil est, si cætera discis.

Ad huius igitur amplissima & divinissima Scientiæ, quæ omnia tum ad huius, tum alterius vite incolumitatem pertinentia, ac nobilissimam & divinissimam animæ medicinam, complexu suo
con-